

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Rudolphi Goclenii Exercitationes et disputationes ethicae & politicae**

**Goclenius, Rudolph**

**Marpurgi Cattorum, 1601**

LII. An vitium possit esse causa virtutis?

[urn:nbn:de:bsz:31-109121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109121)

vitiosas ad moderatas ut tandē perveniamus,  
fieri potest. Sed ex temperatis moderatisque  
actionibus deniq; virtus propriè gignitur.

## LII.

*An vitium possit esse causa virtutis?*

Negatur.

**E**X vitio oriri virtutem, *ἀπο* est. Cùm enim virtutis corruptio & interitus sic à vitio, non est ab eodem ortus ejus seu generatio. Et si virtus existeret ex vitio, propriè loquendo, definiri possent virtutes per vitia, & vicissim hæ per illa, ut rectè judicat Scaliger. Diceretur scilicet: Liberalitas est prodigalitas moderata. Magnificèntia est ambitio cum recta ratione. Fortitudo est consulta audacia. At inquis: ambitio est causa virtutum. Resp. Ambitio vitium seu habitus vitiosus, non est causa habituum laudabilium, ut virtutum, sed tantum actuum, id est, ex ambitione interdum oriuntur actiones magnificentiæ & magnanimitatis, nempe si nimium tandem corrigatur: Ex temeritate opera fortitudinis, seu fortitudini consentanea. Scalig. 3: 7. sect. 4. Ut autem ex privatione propriè nulla sit res physica: Et ut ex malis moribus propriè non sunt hanc leges: Sicneq; ex vitio propriè existere potest virtus. Contraria enim  
Y 3 sunt

sunt inter se corruptiva, non constitutiva.  
 φθαρτικὰ τῶν ἀγαθῶν ἐναντία. Aristoteles.

## LIII.

An conciliari inter se possint Plato & Aristoteles:  
 quorum ille virtutem nobis inesse natura affirmat:  
 hic negat. Item: An Plato pugnet secum ipse, virtu-  
 tem totam à Deo pendere in Menone statuens?

Affirmatur ἤ: & aliqua ex parte negatur.

**D**E causa efficiente virtutis inter Aristo-  
 telem & Platonem convenire non vide-  
 tur. Plato quidem ait: Virtutem existi-  
 re è naturæ seminario: seu virtutem esse nobis  
 ζυσθῆν, hoc est, natura ingenitam. Aristoteles  
 contra: Virtutem comparari industria, hoc  
 est, doctrina vel consuetudine, id est, exerci-  
 tatione ac usu bonarum actionum, non esse  
 nobis ingeneratam. Aristotelis sententia vera  
 est de virtute perfecta (ut habitus est) in-  
 tellecta. Est & Platonis assertio vera intelle-  
 cta κατὰ π, nempe homines igniculis seu scin-  
 tillulis naturæ ad virtutem capeendam a-  
 ptos esse. Sententiæ itaque Platonis & Aristo-  
 telis jungantur ita: Homo ad virtutem  
 ἄεθλος, nec virtus est contra & præter natu-  
 ram: Igniculis autem naturæ ad virtutem sus-  
 cipiendam ita aptus homo, præceptis, com-  
 moda institutione, industria, & exercitatio-  
 ne est excitandus, ut propensio, aptitudo &

διναμικὸς